

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Lvdovici Venegas ... Mariale beatissimae virginis variis  
conceptibus moralibus illustratum**

**Venegas, Luis**

**Friburgi Brisgoiae, 1624**

Sermo primus

[urn:nbn:de:bsz:31-160454](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160454)



IN FESTO NATIVITATIS  
BEATISSIMAE MARIAE  
VIRGINIS.

*Sermo primus.*

Pro salutatione Angelica.



**O**mnes creaturæ, quæ à Deo supremo artifice, potenti illius brachio productæ & formatæ sunt, quæcunq; illæ sint, iuxta mensuram perfectionum, quas à suo supremo molitore acceperunt, eum exprimere, & eius latentem divinitatem manifestare conantur. Verum inter cunctas creaturas, quæ in hanc lucem prodierunt, & magis suum creatorem predicant, & ad vivum ingenium sui artificis apertius manifestant, sine controversia præcipua inter illas extitit Beatissima Virgo. Ita affirmat Sanctus Ildefonsus Archiepiscopus Toletanus in sermone huius festivitatis, ubi sic ait, *Ista creatura dignis laudibus suum creaso-*

*rem prædicat. De creatura sua factor cognoscitur & extollitur, quoniam invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, & in isto mirabili artificio manus artificis maxime inspicitur.* Ac si diceret. Fateor planè omnes creaturas suum creatorem indicare, & quasi digito ostendere, sed inter omnes, hæc excellentissima creatura, magnitudinem illius & præstantiam accuratius, & expressius demonstrat. Si aliquando Deus noster suam eminentiam in educendis in publicum, ex propria idea & arte, pulcherrimis imaginibus indicavit, id sanè hodie præstitit, cum suæ matris pulcherrimam imaginem per eius nativitatem in lucem edidit. *De creatura sua factor cognoscitur, & extollitur.* Hodierna luce sanctissima

Maria

Maria ex materno utero egressa, famam & præclarum sui artificis in depingendis imaginibus nomen longè latequè diffudit. Et in isto mirabili artificio manus artificis maximè elucet. Tanto enim ingenio & arte illam effinxit, ut suum creatorem aliàs infinitum & incomprehensibilem, suo gremio comprimere & quasi coarctare possit. Profapia sanctissimæ Annæ ipsa & sanctus Ioachim, spiritus Angelici, sancti patres Ecclesiæ, & concionatores Apostolici dignis laudibus suum creatorem prædicarunt, sed si cum Beatiss. Maria conferantur, muti & balbutientes sunt; Quæ cum ita sint, potiùs in præsentis festivitatis concione vela contrahere, quàm extendere decreueram; quis enim humana linguâ creaturam tam excellentem, in qua totum ingenium sui artificis elucet, prædicare velit? Animadvertens tamen Mariam sanctiss. seipsam extollere & prædicare, ingenij mei vela pro viribus extendam, si aura suavissima spiritus divini adsit; Hanc exoptulemus. Dicentes Ave Maria, &c.

*De qua natus est Iesus,  
qui vocatur Christus.*

*Matth. cap. 1.*

**S**ANCTUS Propheta Ezechiel in mysteriosa & mirabili quadam visione, quæ refertur cap. 1. suæ Prophetiæ in medio ignis cælum seu

firmamentum aspexit, supra quod thronus magnitudinis & maiestatis totus ex saphyro permagni pretij & æstimationis confectus videbatur, superiori verò huius saphyrini throni loco, quidam in forma & specie hominis magna autoritate & maiestate insidebat. *Similitudo quasi aspectus hominis desuper. Ezech. cap. 1.* Varias interpretationes pro intelligentia prædictæ visionis Prophetæ Ezechielis Doctores adducunt, sed ad nostrum propositum per cælum, & firmamentum in medio ignis constitutum, veterum sanctiss. Annæ intelligemus, per saphyrum verò thronum in cælestibus palatijs constitutum Beatissimam Virginem interpretabimur, quæ planè tanquam thronus saphyrinus ex utero Annæ in hanc lucem egressa est. Lapis iste pretiosus saphyrus, apparentem maris colorem retinet. Hodie ergò Beatiss. Maria summo totius universi gaudio, tanquam thronus ex saphyro confectus, oritur, non solum colore, sed etiam maris proprietatibus affecta; sicuti enim altissimi maris lapillos, qui in profundo sunt, propter eius nimiam profunditatem planè impossibile est investigare, ita immensas prærogativas & virtutes, quibus hodiè exornata ex utero materno egreditur, ingenio nostro perillustrare, & ad finem usque perquirere, profus impossibile est; idè in forma saphyrini throni ab Ezechiele cernebatur, adhuc tamen pro nostri ingenij tenuitate

itate illius heroicas virtutes, & preclaras excellentias diligenter investigabimus. Ad quod rectè & accuratè præstandum, perpendamus quæso Ezechielis visionem, ait enim supra thronum, aliquem in forma atq; effigie hominis conspexisse. *Similitudo quasi aspectus hominis desuper.* In Hebræa versione sic legitur. *Similitudo quasi aspectus hominis supernè.* Vbi illud verbum *supernè* mysteriosè indicat, similitudinem illam hominis longè thronum ex pretioso saphyro confectum superâsse. Sed quis ille erit, qui tantâ eminentiâ pretiosum Mariæ sanctissimæ thronum in humana specie & forma antecellit? Nostro iudicio verbum divinum nostra mortalitate indutum representat, quod cum Deus sit, thronum in suæ maiestatis & magnitudinis gloriam electum ac destinatum, superat ac longo intervallo antecellit. *Similitudo quasi aspectus hominis supernè.* Ex hoc ergò capite, hodierna nativitate Beatiss. Mariæ festivitate, excellentiores illius prærogativas & virtutes colligam, nèpè quodd fuit thronus maiestatis ac magnitudinis, in quo verbum divinum splendidissimè triumphavit, quod sanctus Ildelfonsus Archiepiscopus Toletanus in sermone quodam à se edito de Assumptione, accuratè perpendit his verbis. *Quanta sint pensanda eius merita, quanta sint cogitanda eius præmia, nemo quidem potest edicere, nisi qui egnoverit, quanta fuerit eius gra-*

*tia, quantum eius privilegium, cum ipsa fuerit, per quam verbum divinum & æterni Patris maiestas in mundum advenerit, Vbi merita, gratiam, & præstantissima Virginis privilegia ac præmia ex hoc capite deducit; quia videlicet Maria sanctiss. thronus maiestatis æterni patris fieri & constitui meruit. Ponderanda est diligenter illa vox supernè, quam ex versione græca retulimus, similitudo quasi aspectus hominis supernè. Indicat enim hominem illi throno præidentem, supremo nec non eminentissimo modo thronū illum ex saphyro confectum, superâsse; cum enim Christus Redemptor noster duplicem naturam sortitus fuerit, divinam scilicet & humanam, in quantum homo, throno sanctissimæ Mariæ quantum ad speciem naturæ æquabatur, cum sibi per Incarnationem naturam eiusdè speciei vnièrit: At in quantum verus Deus, naturam altioris & eminentioris lineæ sibi vendicans, longo intervallo illâ excedebat. Cum ergo in nativitate Beatiss. Virginis, quando ex materno utero in hanc lucem orta fuit, nondum verbum divinum naturam humanam assumpfisset, per quam suo modo illi adæquabatur, idèd prædicto throno solum in quantum Deus, supremis ac clarissimis privilegijs eum exornans, præsidebat; quare Propheta Ezechiel formam hominis supremâ omniū esse asseruit. *Similitudo quasi aspectus hominis supernè. Ezech. 1.* Post Deum tamen & humani-*

G

tatem

tatem sibi unitam, nihil Mariâ sanctissimâ in linea & ordine gratiæ superius aut eminentius excogitari potest. Quod sanctus Gregorius rectè perpendit super caput 24. Genes. vbi ingeniose & subtiliter notavit, quodd sanctus Patriarcha Abraham, iam diebus & grandeva senectute confectus, cum vellet suum filium Isaac in matrimonium tradere, antiquiorem suę familiæ seruū vocavit, vt talem vxorem quæteret, quę tanto filio congruere & conuenire videretur, non filiam chananæorū, sed ex proprio sanguine & profapia ortam, quod vt diligentius & certius fieret, ne aliquid aliud famulus præstaret, ab eo tale iuramentum petijt. *Pone manum sub femore meo, vt adiurē te per Deū celi &c. Genes. 24.* Vbi sanctus Gregorius has iuramenti circumstantias mysteriosè observavit, scilicet quodd non permisit Abraham, vt servus super femur manum poneret ad præstandum iuramentum, sed sub femore, noluit enim vt famuli manus suo femore superior & eminentior videretur. Mysterium quodd hic latet iuxta mentem sancti Gregorij, illud est; asserit enim S. Doctor, quodd Patriarcha Abrahamus non permisit seruum supra femur manum ponere, sed sub femore, quia tunc spiritu prophetico Mariam recenter natā conspexit, vt Deus ex illa carnem assumeret, & quia eodem spiritu certò cognouit, nullam creaturam superiorem aut excellentiorem

Mariâ sanctissimâ in postetum creandam esse, idèd noluit Abraham vt seruus iuramentum præstans, super illam carnem manum poneret, ex qua postea Maria derivanda & procreanda erat. Hæc sunt verba sancti Gregorij, quibus hoc subtiliter notavit. *Non super femur, sed sub femore manum ponere iubetur; quia ex illo femore ille descensus erat, qui homo super omnes homines veniret, & non dignum erat, vt super femur manum poneret, quia nulla caro super illam carnem erat, quam vnigenitus Dei filius sibi per incarnationem vnivit.* Ex quo apertè liquet, gratiam Mariæ sanctissimæ omnem aliarum creaturarum sanctitatem præcelluisse, & immenso quasi intervallo superasse, quam ex hoc capite sanctus Ildesonus, sanctus Gregorius, & alij sancti patres Ecclesiæ, in præsentis nativitatæ festiuitate collegerunt; quia videlicet Beatissima Virgo thronus, & sedes Maiestatis Dei futura erat, ex qua verbum diuinum purissimam carnem, & nostræ humanitatis formam assumeret. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Matth. 1.* ex hac radice tanquam ex fonte & origine præcipuæ excellentiæ derivatæ fuerunt. Quod vt grauer cōprobemus, notate charissimi filij, vt magis corda vestra, amore & feruentissimo affectu erga sanctissimam Deiparam ardentius incalescant; quodd antiquū altare Thymiamatis, aliàs Deo gratissimum & acceptissi-

ptissimum; preciosissimis aromati-  
bus refertum fuit, inter illa tamen  
quatuor precipue, mirabili odoris fra-  
gantia nitentia reperiuntur, nempe  
myrrha, onix, galbanus & thus;  
duorum tantum que ad nostrum propo-  
situm spectant, mentionem faciemus.  
Dioscorides libro 12. Et Plinius li-  
bro 32. asserunt, hoc aroma onix nun-  
cupatum, concham quandam esse  
summe fragrantie & suavitatis, que  
scuti formam referens, mortalium o-  
mnium animos incredibili odoris su-  
avitare recreat & delectat; Et si cau-  
sam velimus investigare, quare tam  
prestanti odoris suavitate niteat, a-  
pertè inueniemus causam esse, quia  
intra illam parvulum animal enas-  
citur ac fovetur, quod flore nardi alitur  
& nutritur. Nardus herba quadam  
est, licet parvissima, calidissima ta-  
men & efficacissimam ac intensissimam  
odorem ex se exhalat; huic ergo con-  
chule ad modum scuti à natura effor-  
mate, ex fragrantissimo nardi flore  
suavissimus, ac planè divinus odor ad-  
heret. Proprijsimè sanè charissimam  
auditores Beatissimam Mariam  
concham summi odoris ac fragran-  
tie, non immeritò nuncupare pos-  
sumus, cum per suam nativitatem in  
hanc lucem orta fuerit, vt instar  
conchæ verbum divinum tanquam  
florem exoptatum, & nardum infini-  
tè fragrantie, suis visceribus conclu-  
deret. Concha est Maria sanctissima  
ad modum scuti effecta & efformata;

quia hodierna luce tanquam scutum  
& totius humani generis propugna-  
culum, ex vtero materno prodijt, vt  
Dei contra peccatores furorem, tan-  
quam scutum fortissimum sustineret  
& comprimeret. Idè sanctus Iulia-  
nus Episcopus loquens peccatoribus  
sic dixit. *Si in tenebris es, invoca Mariam,  
si in peccatis detineris, clama propter  
Mariam, si inimicus Dei & Angelorum,  
accede ad Mariam.* Ex quibus Iuliani  
verbis constat, Virginè sanctissimam  
non solum concham esse, sed etiam ad-  
tuendos peccatores clypeum & scutum  
fortissimum; concha planè fuit, vbi  
odor ille Deo gratissimus, qui in alta-  
risancto Thymiamatis offerebatur,  
inventus fuit, & suavissimum ac pla-  
nè gratie odorem, quem semper reti-  
nuit, ex flore nardi verbo scilicet di-  
vino, iure ac titulo Maternitatis Dei  
sibi vendicavit; vellem vt omnes  
Christi fideles sibi persuaderet, omnes  
Mariæ sanctissime gratias, & præro-  
gativas ex flore nardi tanquam ex pri-  
ma radice & fonte fuisse derivatas.  
*De qua natus est Iesus, qui vocatur Chris-  
tus. Matth. cap. 1.* Ex illo excellen-  
tissimam matris Dei prærogativam  
vsurpavit cuius præstantia ex infini-  
tate & illimitatione, quam sortitur,  
colligi potest; ex hoc enim capite de-  
ducere poterimus, nullam aliam di-  
gnitatem Beatiss. Virginis excelle-  
ntiorem esse; maternitate Dei, de  
quâ Doctor Angelicus asseruit. 1.  
part. quæstio 25. articulus 6. ad 4.  
6 2 tantam

tantam esse & tam præstantem dignitatem, vt Deus titulum maioris dignitatis & præstantiæ illi conferre non potuerit; Et ratio illius est, quia esse matrem Dei est dignitas infinita, infinito autem nihil maius excogitari aut fingi potest in illa linea & ordine, quo infinitum est. Quam doctrinam sic confirmavit sanctus Bonaventura in libro quodam à se edito, quem Speculum virginitatis inscripsit cap. 8. *Beata Virgo est mater Dei, quâ Deus maiorem non potest facere, maiorem mundum Deus potest facere, sed maiorem matrem, quam matrem Dei. Deus non potest facere.* Dignitas ergo matris Dei infinitatem & immensitatem quandam sortitur, cum nihil illâ maius à Deo effici possit, ex quo nulla imperfectio aut debilitas in divina omnipotentia denotatur. Sicut enim Deus absque vlla suæ omnipotentia iactura, meliorem filium verbo divino à se ab æterno genito, habere aut producere non potest: Ita nec præstantiorem matrem, saluâ etiam omnipotentia diuinâ; Nam esse matrê, formaliter importat respectum ad filium à se genitum, & esse Dei matrêm, ad filium diuinum temporaliter ex suo purissimo sanguine afflatu spiritus diuini genitum; Cum ergo Pater æternus meliorem & præstantiorem filium habere non potuerit, ita nec maiore & excellentiorem matrem procreare ac efformare potuit. Tanta est huius tituli & dignitatis excellentia & magnitudo.

Idem Ecclesia Catholica tantâ & tam præclaram Mariæ sanctissimæ prerogativam pro viribus fulcire & defendere conata est, cuius causâ congregatum est vnum ex quatuor præcipuis Concilij, de quibus sanctus Gregorius asseruit, illa tanto honore veneranda & obseruanda esse, sicut & quatuor Iesu Christi Euangelia, congregatum vero fuit contra perniciosum hæreticum Nestorium, qui titulum & dignitatem matris Dei pertinaciter negabat, & à fidelium mentibus delere conabatur. Tempore ergo Theodosij secundi Imperatoris, & Celestini primi summi pontificis definitum est & statutum contra Nestorium Beatiss. Mariam vocandam esse græco vocabulo *Theotokos*, quod matrem Dei significat & exprimit. Et vt tantam dignitatem & diuinum quasi titulum aequaliter cognoscere possitis, considerate, quæso, cum Anselmo filium Dei vnigenitum ad dexteram sui patris sedentem, & ad filij dexteram, Mariam sanctissimam perpendite; Cernite etiam animis patrem æternum sic suum filium alloquentem. *Filius meus est tu, ego hodie genui te.* psal 2. Id est, ab æternitate, vbi nulla est durationis successio, sed semper præsentissima vni formitas durationis: Considerate etiam Beatissimam Mariam sic quoque suum charissimum filium dulcissimis verbis alloquentem. *Filius meus est tu, ego hodie genui te.* Quin & filium diuinum sic suo patri loquentem

tem

tem contempleri, *Pater meus es tu.* psal. 88. Quibus fermè similibus verbis etiam suæ charissimæ matri sine dubio loquitur est. *Mater mea es tu*, qui modus loquendi non solum captum nostrum, sed & quamcunque exaggerationem superat, quem admiratus & stupens sanctus Anselmus in libro à se edito de laudibus sanctissimæ Virginis, sic ait. *Idem ipse, qui in persona est Filius Dei, est in persona Filius Beata virginis, & idem, qui est in persona filius Beata Maria, est etiam in persona filius Dei.* Mirabile sanè est ac planè divinum, quod eadem persona, quæ æterni patris filius est, naturalis etiam filius Beatiss. Virginis existat, & idem, qui filius naturalis Mariæ sanctiss. sit etiam Dei filius naturalis, & suo patri coæternus. Ex quo apertè inferri potest, quòd sicut pater æternus ex productione sui filij naturalis ab æterno, infinitam dignitatem primi principij producentis sibi usurpavit, quæ alijs personis divinis adaptari & accommodari non potest; Ita sanctissima Virgo ex tanto ac tam præstanti filio à se temporaliter genito, immensam & infinitam dignitatem matris Dei acquisivit, ad quã nulla pura creatura, quantumvis in dignitatibus & honoribus crescat, pertingere vnquam poterit. Ex quibus omnibus constat maiores & excellentiores sanctiss. Mariæ gratias & prærogativas, ex nardi suavitate & illius fragantia, quã totius vniversi flores superat, verbo inquam

divino, derivari, & illi acrescere. De qua natus est Iesus, qui vocatur, Christus. Matth. 1. Et non solum gratias peculiare & excellentiores prærogativas, à suo filio tanquam à nardo fragantissimi odoris participat, sed etiam illius cognomina & titulos accepit. Quod vt confirmemus, notate, charissimi, propriũ titulũ & nomẽ filij Dei, quod illi in sacris litteris attribuitur esse, de sideratus cunctis gẽtibus. *Et venit desideratus cunctis gentibus* Aggei. 2. cap. Hoc ergo titulo & præclaro nomine hæc puella sanctissima, hodierna die recenter nata, exornatur & condecoratur, ipsius enim nativitatẽ vniversi homines summoperè exoptarunt. Et hũc esse proprium Iesu Christi titulum, sicq; in sacra scriptura nũcupari clarissimũ est. Nam paraphrasis Chaldaea, vbi nostra vulgata legit, & *venit desideratus cunctis gentibus*, sic ipsa dicit, & *venit Messias*. Et in Hebræa versione sic legitur. *Et venit Iosuah*. Idem ergo in sacris litteris *Messias atque Iesus*, vel *desideratus cunctis gentibus*, sonant, quod præclarum Salvatoris nostri nomen debito iure communicatur & appropriatur Beatiss. Mariæ, ipsa enim sic appellanda & nuncupanda est *exoptata & desiderata cunctis gentibus*. Neque hoc apertè & manifestè comprobare difficile est. Id enim ex firmissimis Theologorum & Philosophorum principijs deduci potest. Docent enim eodem actu voluntatis & desiderij quo quis finem intentum

adipisci desiderat, eodem profus actu media necessaria ad illius efficacem aſſecutionem desiderare. V. G. qui vult efficaciter conſequi ſanitatē, vult etiam eodem actu neceſſaria media ad illius aſſecutionem. Perpendatis modò chariſſimi, magnum & ex imo pectore ortum deſiderium, quod omnes mortales antiquis ſæculis habuerunt, vt Deum noſtrum formā humanitatis indutū aſpicerent, & proprijs oculis cernerent. Quod ſatis explicarunt ſanctorum Patrum voces & lamenta. *Vtinam dirumperes calos & deſcenderes. Eſai. cap. 64. Rorate cœli deſuper et nubes pluant iuſtum, aperiat̄ur terra & germinet ſalvatorēm. Eſai. cap. 45.* Eodem ergo deſiderio, quo Chriſtum tantoperè exoptarunt, eodem profuſo hanc ſanctiſſimam puellam iam natam & in lucem editam, proprijs oculis cernere & intueri inſtantiſſimè deſiderebant; Si enim verbum aivinum noſtram naturam aſſumere debebat, ex virgine matre, iuxta antiquorū patrū vaticinia ea aſſumenda erat; quare ſi Ieſus Chriſtus, ſalus noſtra & vita præſtantiſſima, *deſideratus cunctis gentibus* nuncupatur, beatiſſima etiam Maria hodiè felicifſimis auſpicijs in hanc lucem edita, hoc etiam titulo exornetur, cū illius natiuitas ab vniuerſo mortalium genere expectata fuerit; ſi enim omnes gratiæ & prærogatiuę, quę in Chriſto, illarum ſupremo auctore reperiuntur, Marię ſanctiſſimę, dum ſuo ſtatui

non repugnarent liberaliſſimè collatę fuerunt, quare etiam titulos & præclara illius cognomina, dum ipſi congruere poſſint, non tribuemus? & cū Chriſtus aſſertor noſter, *deſideratus cunctis gentibus* vocetur, etiam ipſa tali titulo & nomine decoranda & exornanda eſt, diuerſimodè tamen; Chriſtus enim cunctis gentibus *deſideratus* dicitur, tanquam ſinis vltimus & primò intentus omnium deſideriorum: At Maria ſanctiſſima tanquam medium neceſſarium, vt illa opere & exercitio completerentur. Ex quibus omnibus rationē manifeſtam deducere poterimus, quare hæc ſanctiſſima puella ex matre ſterili hodiè in hanc lucem prodièrit. Exiſtimo ſanè rationē huius non incongruam reddi poſſe, ſi dicamus, hoc factum fuiſſe, vt omnibus mortalibus, illam exoptatam fuiſſe & deſideratam cunctis gentibus, inno teſceret, quod & apertè ſuorum patrū Annę & Ioachim deſideria, quin & ieiunia, orationes, & frequentes eleemoſynę pro illius natiuitate oblatę, hauꝫ obſcurè indicarunt, Summoperè enim huius ſanctiſſimę puellę ortū exoptantes, maiorem rei familiaris partem pauperibus erogarunt. Qua ratione & motivo ducti, non imeritò aſſeverare poſſumus, quod Maria ſanctiſſ. cū ex marerno Annę vtero egreſſa fuit, præſtantiſſimum odorem Galbani ex ſe emiſit ac exhalavit. Plinius loco ſupra citato huius aromatis, quod in altari ſanctō

sancto thymiamatis olim offerebatur  
fermōem faciens, asseruit illud intra  
cavitatem arundinū, quæ in terra Pa-  
lestinae procreantur, enasci, quibus  
arundinibus infirmi & pauperes tan-  
quam baculo & bacillo inniti sole-  
bant; Et hac de causa existimo, odo-  
rem Galbani tanquam Deo gratissi-  
mum & acceptissimum in altari san-  
cto thymiamatis oblatū fuisse, Vt per  
prædictum aroma indicaretur, oratio-  
nem & eleemosynam, quæ tanquam  
firmissimus baculus pauperes fulci-  
re & sustinere solet, & in arundinibus  
terræ Palestinae significatam, Deo  
gratissimam & iucundissimam esse.  
Et ex hoc colligere poterimus, quali-  
ter puella hæc sanctissima odorem  
præstantem Galbani in sua nativita-  
te protulerit, nam eleemosynæ, &  
orationum efficacia ex sterili & infæ-  
cunda matre progenita, potius elee-  
mosynæ & orationum, quàm Annæ  
& Ioachim filiam nuncupare possu-  
mus. In quo virtus eleemosynæ & o-  
rationis enituit, cum ex matre sterili  
naturâ iam quasi emortuâ, ipsam Dei  
filiam in lucem edere potuerint. Id  
quod per se natura assequi nullo mo-  
do potuit, eleemosynæ sanè & oratio-  
nes impetrarunt, vt apertius consta-  
ret, puellam hanc sanctissimam elee-  
mosynis, & orationibus natam, cun-  
ctis gentibus desideratam fuisse. San-  
ctus Gregorius magnus ingeniosè  
perpendit verbum, à Deo Abrahamæ cir-  
ca suæ prolepiæ propagationem, præ-

stitum, illi enim promisit semen su-  
um longè latèq; diffundendū esse; ita  
vt ex illo progeniti in numero & mul-  
titudine stellas firmamenti superarent.  
Quam promissionem sanctus Grego-  
rius admirans, difficultatem nostro  
proposito inservientē, excitavit, si e-  
nim Deus promissionem Abrahamæ fa-  
ctam adimplere intendebat, quare illi  
vxorem sterilem concessit, quæ adhuc  
nonaginta annorum nata, nec dum fi-  
lium conceperat: melius & congruen-  
tius foret, si sæcundam sæminam Liæ  
similem, in matrimonium duceret.  
Quæ enim ratione infæcūdi vteri ste-  
rilitas, cum tot filiorum multiplicati-  
one rectè cohærere potest. Præterea si  
hæc promissio pro persona Isaac execu-  
tioni mandata erat, quare statim non  
fuit executâ? quæ nam necessitas, aut  
urgēs ratio excogitari potest, quæ pro-  
missionis dilationem congruentē &  
convenientē reddat? Mysteriū huius  
est, (inquit S. Gregorius) voluit e-  
nim dominus generationē Isaac iam  
promissam & suorum filiorum multi-  
plicationem indies differre, vt consta-  
ret Isaac tantoperè exoptatum, & elee-  
mosynis ac orationibus sæpius postu-  
latū, potius orationis, quàm naturæ  
filium fuisse, in quo Deus vim & effica-  
ciam orationis nobis manifestare vo-  
luit, id namq; quod debilis & infirma  
natura præstare non valuit, oratione  
consecutum & præstitum fuit. Verba  
S. Gregorij quibus tantū mysterium  
graviter & subtiliter aperuit, habentur  
supet

super cap. Genes. 44. si multiplicatioge-  
nerationis Abrahæ per Isaac prædestinata  
fuit, cur coniugem sterilem accepit?  
Vt constaret, quod talis prædestinatio  
precibus impleretur, & quod ta-  
lem filium oratione obtinisset. Ad no-  
strum ergo propositum propiùs acce-  
dentes, cum Mariam sanctissimam re-  
center natam totus orbis summo de-  
siderio concupiret, & continuis pre-  
cibus postularet, voluit & disposuit  
Divina Maiestas, vt sanctus Ioachim  
sanctam Annam sterilem & infæcun-  
dam in matrimonium duceret, vt vis  
& orationis efficacia magis eluce-  
ret, & vt apertius constaret, ipsam po-  
tius desideriorum, quàm naturæ fili-  
am fuisse; Et consequenter iure opti-  
mo cognomen Christi Domini sibi v-  
surpare. *Et veniet desideratus cunctis  
gentibus. Aggei. cap. 2. Vt sic peccato-  
res in illa firmissimam suæ salutis  
spem & desiderium collocarent, in hac  
vita illius interventu consequendæ  
per gratiam, & in futura per glori-  
am, quam mihi & vobis præstare di-  
gnetur. Amen.*



### Sermo Secundus.

#### PRO SALVTATIONE Angelica.

**C**elebramus hodie (charissimi  
auditores) ortum & nativita-  
tem Beatissimæ Virginis, quan-

do supremus ille rerum omnium opi-  
fex & Dominus suæ gratiæ, & gloriæ  
divitias quasi in vnum collectas ho-  
minibus aperuit & manifestavit, il-  
lâ etenim pulcherrimâ creaturâ ex  
vtero materno in hanc lucem exori-  
ente, spiritalium Dei divitiarum a-  
ceruus & cumulus mortalium omni-  
um oculis expositus est. Idem illâ pro-  
pheta David spiritu prophetico na-  
scentem contemplans, montem sion  
appellavit. *ps. 47. Idem significat sion*  
*atq; acervus, seu multarum rerum cu-  
mulus. Volens spiritus divinus hoc in-  
dicare, divitias virtutû & gratiæ non  
concessas esse sanctissimæ Mariæ  
divisim & quasi separatim, sicut alijs  
sanctis, sed coacervatas & immen-  
tate quadam in vnu collectas. Nec mi-  
rum, quia hodie Deus suæ maiestatis  
& magnificentiæ claustrum iam in  
materno Annæ vtero exstructum, in  
lucem eduxit, vbi vexilla virtutum &  
divitiarum Dei splendidissimè micâ-  
runt. Quod elegantissimè expressit  
sanctus Ambrosius quibusdam ver-  
bis, quæ refert sanctus Ildesonus Ar-  
chiepiscopus Toletanus in sermone  
huius festivitatis, spiritu enim &  
mentis oculis illam in suæ sanctiss.  
Matris Annæ vlnis contemplans, lic  
asseruit. *Ecce claustrum pudoris, in quo  
versabitur tota maiestas Dei, hic nulla  
feditas diræ conditionis, hic vexilla vir-  
tutum emicârunt, nullum peccatum pri-  
mæ originis hic iam viguit, & fulgent iam  
regis vexilla in illo sancto puerperio. Ac**